DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

NEPHRITIDE.

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. GODEFRIDI BIDLOO, Med. Doct. Anat. & Colleg. Pract. in Acad. Lugd. Bat. Profess. Ordin. ut & Colleg. Chir. ejusd. civit. Præsidis,

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medica Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

ANTONIUS DE HAAS, Briela-Batav.

Ad Diem 17. Julii. S. N. lòco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDC XCVI.

PATRIÆ

FAUTORIBUS

Atque

AMICIS.

Hanc Dissertationem Inauguralem

D. D. D.

ANTONIUS DE HAAS.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

NEPHRITIDE.

THESIS I.

NEPHRITIDIS Etymologia, Græcâ cognitione vel leviter imbutis illico, ſeſe offert: nempe origo ejus eſt Νεφρὸς, Ren, utpote qui primariò hoc in affectu cum pelvi, & Ureteribus patitur; quapropter non incongruam adeo morbi deſcriptionem, meo judicio, quis dabit, ſi dicat Nephritidem generaliter ſignificare quemvis Renum dolorem ad abdomen & nonnunquam Ilia atque inguina divagantem cum

 nauſea

nausea & vomitu, productum à quacumque demum materia, renes inflammante & obstruente & lædente (vide *Joh. Anton. van der Linden select. Med. Exer.* XVI. §. XI. *& seq.*)

I I.

Hujus autem causam priusquam examinem, inconcinnum haud fore putavero, differentias quibus Colica Passio differt à Nephritica annectere, præprimis, cum arduum id opus esse unanimi fere consensu testentur Celeberrimi Medici, vid. *Galen. 2. de loc. aff. c. 5.* Scilicet in Nephritide dolor magis fixus regionem vexat lumbarem, qui contactu externo duriore exacerbatur, urina redditur vel nulla, vel admodum pauca, utplurimum cruda & aquosa, nonnunquam cruenta & nigricans, nonnunquam arenoso-viscosa, nonnunquam etiam (puta in inflammatione) rubicunda splendescens, stupet crus lateris affecti, retrahitur in sexu Masculino è directo Testiculus &c. quæ non adeo locum habent in Colico dolore, nisi hic fuerit cum Nephritide conjunctus, tuncque dici solet passo Colica Nephritica; Confer. *River. Prax. lib.* X. *c.* I.

I I I.

Hisce præmissis, verbum solummodo addam, de situ, structura & connexione Renum, simulque functionem eorum breviter ostendam, præprimis quoniam eorum fabricam jam dudum accuratissime delinearunt *Malpighius*, *Bellinus*, aliique, quorum laboribus exquisitissimis ego non sum, qui quicquam vel detractare velim vel adjungere valeam. Sunt itaque

Rene

Renes quoad ſtructuram corpora glanduloſo-nervoſa, phaſeolum quoad figuram non male referentia, pinguedine nonnunquam parciore, nonnunquam copioſiore, ſupra Muſculos Pſoas ſive Lumbares in abdomine locata, in quibus occurrunt 1°. Arteriæ ſatis inſignes, quæ, ſermone Anatomico, Emulgentes dictæ, ortum trahunt ab Aorta deſcendente, 2°. venæ pariter ſatis inſignes, & eodem nomine inſignitæ, ſed monente *Blaſio*, Renales potius, ſive ſanguinem ab renibus ad venam cavam revehentes dicendæ, adeoque neutiquam ex cava (ut volunt) oriundæ, ſed in eam deductæ. 3°. nervi, exiles quidem, ſed tamen non adeo (ut putant nonnulli) numero pauci; vide *Georg. Entii animadv. in Thruſton. p.* 484. hi originem ducunt ab pari ſexto, vel ſecundum alios, ab octavo, & omnem Renum ſubſtantiam perreptant, ſed magis in pelvi atque ureteribus uniuntur, vel denſantur 4°. vaſa lymphatica ſatis numeroſa (vid. *A.. Nuck adenogr. cur.*) quæ ſuperfluam à ſecretione urinæ Lympham (ſcilicet hæc non poſſidet eandem cum urinâ naturam) vehunt verſus chyli Receptaculum 5°. tubuli peculiares hydragogi ſive Siphunculi, ex glandulis renalibus oriundi, qui urinam ſecretam in pelvim eructant, ab qua porro juxta ductum Ureterum (quarum origo eſt pelvis) ad veſicam urinariam, obliqua admodum per veſicæ latera inſertione amandatur.

IV.

Hæc qui animo paulum attento inſpexerit, facile percipiet, quod ſanguis, per arteriarum emulgentium propagines & ramificationes, innumerabilibus modis intortis & circumvolutis; ſibique mutuo intertextis

(quæ unà cum nervis potiorem glandularum compagem conſtituunt) violenter ſatis, preſſione à tergo continuante, æquali & jugî inſinuatus, diſtribuat undiquaque particulas, ſive moleculas diverſæ magnitudinis & figuræ (compoſitus enim ſive heterogeneus admodum eſt ipſe ſanguis, ut olim optime docuit divinus *Hippocrates*,) quæ intra tubulos mox memoratos urinarios ſuſceptæ & collectæ, urinam ipſam conſtituunt, cujus ſecretioni promovendæ, nullus dubito, quin nervi, fluidum ſubtiliſſimum & mobiliſſimum afferentes, ingentem conferant ſymbolam.

V.

Poſtquam Renum ſtructuram naturalem,& functionem eorum, rudi penicillo, ad ingenii mei modulum, ita breviter adumbravi, reliquum erit, ut ad ſtatum præternaturalem feſtinem, qui certe lucem ſatis inſignem fœneratur ex antedictis, paucíſque comprehendi poterit; hoc eſt, ſi ſanguine libere ſatis per canales renum minores majoreſve fluente, Urinæ ſecretio libere procedat, nulluſque eveniat dolor, profectò liquidum erit, quod motu ſanguinis humorumque circulari, ſive progreſſivo, præter modum imminuto aut retardato, ſecretio urinæ impediatur aut ſufflaminetur, item quod vis undiquaque ingens inferatur canalium anguſtiorum fibrillarumque lateribus, unde reſultat in ipſis vel periculum ſolutionis continui, vel ſolutio ipſa actualis, propter quam mens dolorem (male enim ipſe ren dolere dicitur) ſuſcipit ingentem, hoc eſt homo laborat *Nephritide*.

VI. Hæc

V I.

Hæc de causa Nephritidis generali jam sufficiant: porro me accingam ad speciales alias : *Primo* igitur, quotiescunque sanguis acribus crassioribus , hoc est,rigidioribus , constantioribus, magis vel minus acuminatis , aut complanatis , vel scindentibus particulis onustus est , sequitur corpuscula illa (quorum figuras infinitis variare modis, satis superque monstrant experimenta , & per ignem & microscopium accurate instituta) cavitates canaliculorum angustiorum obturare , eodemque actu lateribus vim illam nimiam (de qua egimus §. præced.) inferre, hoc est, Nephritidem producere, & quidem calidam , sive cum inflammatione junctam , quatenus rigida illa acuminata & complanata corpuscula, diametris pororum tubulorumque, non ita accurate possunt accommodari , quin interstitia relinquantur minima , soli materiæ subtili pervia , quæ per consequens , cum velocius per angustias illas perfluere cogatur (in omni enim motu contingit , ut viâ coarctatâ , corpora fluida celerius perfluant, magnoque satis impetu hoc in casu in latera impingant salia hærentia) ad majorem motum tremulum perducit , quo mediante fibrillæ seorsim singulæ solito vehementius contremiscentes menti communicant Ideam doloris acuti & ardentis ; qui propter communionem nervorum & membranarum abdomine contentarum, propagatur ad varia vicina viscera, unde mentitur haud raro *Nephritis Colicam passionem.*

V I I.

Secundò, quotiescunque sanguis onustus est particu-

lis

lis oblongis, craſſis, flexibilibus equidem, ſed non adeo fluxilibus, denuo manifeſtum eſt, vaſa renum anguſtiora, tubuloſque eorum ita obturari, ut ſerum urinoſum ad pelvim & ureteres pervenire nequeat, quo in caſu dolor eſt magis obtuſus, nullo ardore apparens, ita ut materia ſubtilis, pauciſſima duntaxat, æqualiter perfluat, quoniam oblongæ illæ particulæ æqualius tubulorum pororumque diametros opplere poſſunt, minuſque fibrillas nervoſas vellicare aut rumpere. Hæcque *Nephritis* dicitur *frigida pituitoſa.*

VIII.

Tertiò, quotieſcunque ſanguis abunde refertus eſt particulis, ſive moleculis ſcabris terreſtribus, figurâ admodum irregulari præditis, in quorum amplioribus poris ſuſcipiuntur partes rigidæ, quæ, ſi ratione ſuperficiei æqualis ſibi mutuo approximentur & uniantur, ut in ſcorbuto, arthritide &c. tunc iterum caniculi renum facili negotio obturantur, ſuſcipiuntque tractu temporis prolem arenoſam vel calculoſam, cujus eminentiæ duræ & aſperæ, vaſcula & fibrillas tum Renum tum Pelvis, tum Ureterum (prout nempe ſucceſſive illàc detrudi poteſt materia illa calculoſa) non poſſunt non lædere, atque ruptionem inferre dolorificam admodum, longe lateque divagantem, prodeunte denique urina cruenta & ſanguinolenta, ramentis glanduloſo-nervoſis aliquando turgida: quo modo clarum eſt attendenti, tandem naſci exulcerationem & apoſtema Renum, cujus indicia petuntur, partim ex urina purulenta, partim ex dolore Renum continuato.

IX. Ad

I X.

Ad hoc genus morbi (non minus quàm plurium aliorum nunc non memorandorum) producendum, mirum quantum conferat prava Renum dispositio, labesque toti massæ sanguineæ communicata per hæreditatem, nam cernere licet Nephriticos gravissimos, qui accuratissimam servant diætam, ex adverso alios, qui sine ulla noxa promiscuè omnis generis edulia consumunt: ita verum est, quod dici solet:

Qui viret in foliis, venit à Radicibus humor
Sic Patrum in natos abeunt cum semine morbi.

X.

Nec exempla desunt Nephritidis, ortæ ab *vermibus*, Renum substantiæ glandulosæ inhærentibus, majoribus præsertim & longioribus, quales etiam sæpe occurrunt in canicidiis, modus autem, quo hinc vel dolor, vel ischuria &c. eveniat, puto satis deduci posse ex antedictis: Intemperiem præterea sanguinis omnem crassam, sive Salinam, sive acidam, viscosam, atque Terrestrem, cum supra quo jure culpandam enodaverimus, nihil superaddendum existimo de causis antecedentibus, quapropter ad causas externas, sive procatarcticas, quæ dici solent (quamquam male) sex res non naturales.

X I.

Calidam itaque Nephritidem producere possunt & fovere, aër intense calidus & acribus effluviis onu-

 stus,

ſtus, aromatica omnia immodice uſurpata, qualia ſunt piper, zinziber, ſinapi, caſeus antiquus, allium vel cæpa, ut & diuretica acriora intempeſtive hauſta, idque præſertim, ubi male præparata, Tinctura cantharidum, vermium Majalium, ol. ſabin. juniperi, Terebint. Scorpion. &c. immodicus uſus Sp. vini, decubitus in dorſo nimis diuturni & frequentes, vehementiora corporis exercitia continuata, præſertim venerea, ſuppreſſio conſuetarum evacuationum & ſimilia.

X I I.

Frigidam verò, ut & *calculoſam* Nephritidem generare valent, aër pluvioſus, nebuloſus, frigidus, maritimus, alimenta viſcida, ut lacticinia, præſertim ebutyrata, legumina, caſeus recens; acetaria, piſces marini, præſertim, ſaliti & vento ſiccati, carnes ſale & fumo induratæ, cereviſia antiqua pinguior & acida, vina Rhenana auſtera & immatura, juncta ſaccharo & aquæ colonienſi (quæ noſtratibus dicta *Bornwater*, ingentem pulviſculi calciformis copiam poſſidet) panis niger acidus, fructus horæi, ut cucumeres, pepones, melones, meſpila, caſtaneæ &c. vita ſedentaria, vel etiam deſes atque otioſa, longiores & in meridiem protracti ſomni, quemadmodum & illi pomeridiani, qui inſtitui ſolent priuſquam alimenta in ventriculo rite fuerint diviſa, denique animi pathemata triſtiora, & id genus alia.

X I I I.

Tandem ad Nephritidis *Prognoſin* me accingo, quæ

quæ non poteſt non pro diverſitate cauſarum variare, quamquam in genere morbus ſatis ſit periculoſus & difficilis, propter dolores immanes, vomitum frequentem, vigilias perpetuas, dyſuriam, Iſchuriam, & ſtranguriam, quibus, tanquam comitibus fere inſeparabilibus, vires vehementer conſumuntur: In ſpecie vero, calida Nephritis parit febrim ſynocham, haud raro funeſtam, præſertim ſi malum proſerpat ad partes plures vicinas aut viſcera abdominis. Diutius ſi duret, abit in ſuppurationem ſive ulcus Renum, ſimul & veſicæ, quod curatu eſt difficillimum, propter afluxum urinæ acrioris perpetuum; Frigida vero Nephritis facillime tranſit in calculoſam, quæ vel poſtea generat veſicæ calculum, vel renes fere ſaxeos reddit, pelvimque aut Ureteres ad prodigioſam amplitudinem expandit: aliquando calculi illi exitum ſibi quærunt per muſculos lumbares, quale exemplum ſatis memorabile extat apud *Henr. Roonhuſ. Obſ. Chir. part.* 1. *obſ.* 28.

Producit quoque Nephritis calculoſa Renum hæmorrhagiam, apoſtema, ulcus, & conſumtionem partium vicinarum: verminoſa Nephritis ſanatu difficillima eſt, niſi minores fuerint vermiculi, & in pelvim jam propulſi; ſolent aliàs inſecta illa aculeis ſuis idem fere præſtare, quod materia acris & corroſiva.

Hæreditaria Nephritis palliari poteſt, verum non ſanari; in ſenibus curatu eſt difficilior quam junioribus, teſte *Hippoc. Sect.* VI. *Aph.* 6. & ratio eſt facilis attendenti. Calculum cum Ulcere junctum incurabilem eſſe, recte ſatis notavit *River. Prax. lib.* 14. *cap.* 1.

Vela denique disputationis meæ contracturus, Methodum qua Nephritis curari debeat, ea qua potero brevitate, ostendam, non enim pagellas prolixis formularum typis maculare volo, ut solent nonnulli, primo, quoniam uberrima earum apud Auctores est seges, secundo, quoniam pro diversitate symptomatum, Metamorphosi varia ludentium ætatis, temperamenti, anni temporis &c. non solum ingredientia, verum etiam formulæ mutari debent, id quod Practico exercitato nullatenus erit difficile.

Primo itaque attendendum est, ad symptomatum urgentium mitigationem, deinde ad materiæ peccantis correctionem & evacuationem, tertio denique ad præservationem ab recidiva.

Symptomata autem urgentia ordinarie cum sint dolores atroces, & Ischuria, maxime curandum est, ut dolores sopiantur per temperata anodyna, & emollientia, nec non ut eodem actu urinæ secretio excretioque facilitetur: Hunc in finem in Nephritide calida, instituatur Venæ-sectio, pro ratione virium, ætatis, anni temporis, sexus &c: deinde præscribatur pulvis ex Sal. Prunell. Saturn. Camph. antimon. diaph. & laud. op. ex quo fieri potest bolus. add. vel Theriaca vel Diascord. &c. conducit quoque emulsio ex hord. mund. ad crepat. coct. sem. 4. frig. maj. lini. papav. albi &c. addendo s. q. aq. hord. & syr. papav. alb. vel de Alth. Fernel. Clysteres injiciantur emollient. & anodyni, succus plantag. & sempervivi maj. cum s. q. syr. de acetos: egregie convenit pro haustu: Evitentur purgantia & diuretica quævis acriora, non enim nisi nitrosa, humectantia & emollien-

lientia convenire poterunt, exceptis paucis forte salinis volatilibus oleosis & admodum temperatis, nec non acidiusculis: Decoctum Foresti ex cicer. rub. hord. mund. sem. alth. malv. 4. frig. maj. fic. ping. sebest. liquir. ras. multis indicationibus satisfacit; Externe regioni lumborum imponantur linteamina succo plantag. & sempervivi maj. imbuta, vel adhibeatur solutio Saturni & nitri, in s. q. Aq. plantag. & rosar. Sacculi quoque ex farina hordei, lini &c. neutiquam spernendi.

In Nephritide frigida, mixtura componi potest ex Aq. fœnic. petros: antineph. Amstel. sp. carm. Sylv. antim. diaph. tinct. millep. vel succin. syr. 5. rad. & similibus, vel fiat vinum medicat. ex lign. junip. nephrit. sassafr. rad. onon. fænic. saxifr. petros. aspar. apii. herb. menth. fol. laur. sem. apii, petros. levist. liquir. sal tart. & simil.

Nec omitttenda sunt enemata carmin. ventremque solvent: quibus utiliter additur bals. sulph. tereb. fortiora diuretica demum locum habere possunt, ubi materia peccans fuerit præparata; inter hæc excellit tinctura martis, salis tartari, succin. martis volat. metallor; Regioni lumbari imponatur Cerotum de cumino malaxat. bals. sulphuris tereb. & oleo scorpion; contra Nephritidem vero arenoso-calculosam, usurpanda sunt, primo Emoll. & oleosa, nec non humectantia, ut viæ quas absolvere debent calculi, lubricentur, atque dilatentur, huic scopo satisfacit oleum amygd. dulc. rec. express. vel lini cum vino Rhenano antiquo & generoso, vel aq. petros. fænicul. antineph. Amst. &c. aut præscribatur Emulsio hordeata vel Ptisana, addito sem. viol. purpur. Nymph. alb. fænicul. &c. Clysteres iterum commendantur emollien-

lientes, ſimulque nonnihil Carminativi & diuretici, ſemicupia atque balnea emollientia apprime neceſſaria ſunt, ſacculi ex farina hordeï, lini &c. calide applicentur lumborum & abdominis regioni ; Nunc manum de tabula, ſponte enim multa taceo, quæ hic apponi poſſent, ſed pagellarum vetat anguſtia.

Thraſonum lithontriptica, ſive calculum frangentia medicamenta, iiſmet ipſis relinquimus, vana enim ſunt ea, ſi non pernicioſa,

Diætæ vero regimen nullo negotio colligi poteſt ex iis, quæ ſupra adduximus circa ſex res non naturalies, ita dictas, ſive cauſas procatarcticas.

F I N I S.